Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster



249

Chyrchperg, Ulricus de Tonfers ex parte una, nec non Domini Illustres Meinhardus, et Albertus Comites Goritiæ, et Tyrolis ex altera presens Instrumentum suorum sigillorum robore munierunt. Testibus qui aderant subnotatis qui sunt hi: Ven. Henrico præposito Novacellensi; fratre Dietone Comendatore fratrum domus Teutonicorum in Bozano; Berchtoldo Chrellone, Hainrico de Staringa, Tuchslino pincerna de Tyrol, Hainrico Fricone, Jacobo de Castro sancti Michaelis, Engelmaro Tarando, Marcelino Patruo suo, et Vatelino, et alis quam pluribus. Actum et Datum in Bozano Anno Domini 1270. quinto intrante Majo XIII indictione.

47) Instrumentum habet est CXV apud Meichelbeckium Chron. Benedictob. p. II. Ego Ulricus de Schiltperg Marschalcus tenore presentium profiteor et constare cupiou universis Christi fidelibus presens scriptum intuentibus, quod bona mea in Rides, videlicet curiam ac feodum, Ecclesie in Pevren. ~~et~~ in remedium anime mee et salutem, libere et solute, et sic eisdem bonis pro tempore vite mea de ipsa Ecclesia in Pevren. dantur mihi omni anno quatuor urne vini latini. etc. -- testes sunt hii. Werchnandus miles de Eyringspurg, Dominus Chunradus de Schiltberg canonicus, Marquardus de Wilenpach, Dyboldus de Perenpach, Chunradus de Pogen, Stratarius Peregrinus, et alii quam plures. Actum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo, proxima feria secunda ante annunciationem beate Virginis Marie. Et addit Notam Meichelbeckius: Vinum latinum: vulgo Welschwein: quo nomine etiam venire vina Athesina extra dubium nobis est. Rides, Riez.

48) Vide supra ad c. XII Add. 43. Aventinus Annal. Boic. l. 7, c. 7: Inter hæc Conradus Campania, Apulia, Calabria, Sicilia in obsequium redacta, avito, paternoq ne regno perdomito, ibidem moritur, filio cognomine impubere bimo super sex menses relicto, qui in Bavaria Landshutae educabatur. Vide et infra ad c. XIV Add. 19 et 29.

49) Sartorius Cister. geom. tit. 26. Idea Congregat. Jup. Geom. Kirchemium (Germanice Maria Kirchheim) in diœcesi Augustana, et Comitatu Oetingensi, sesqui hora Nördlinga urbe Imperiali (ex pugna decretoria inter Cæsarianos et Suecos An. 1634. per Orbem famosa) distitum, Fundatores habuit Illustrissimos Conjuges Ludovicum Comitem Oetingensem, et Adelhaidem Comit. Hirschbergensem Anno 1270. Constituerant in hujus Monasterii templo ante Religionis diffidia hereditarium sibi conditorium Comites Oetingani, et quiescunt in eodem quadraginta circiter utriusque sexus Comites, atque inter eos aliquo hujus loci